

secundum tertium atque perfectissimum modum inter se ordinantur personae, ut divina trium societas non solum ex parte obiecti intelligatur, affirmetur, diligatur, sed etiam ex parte subiecti secundum emanationes intelligibiles per veritatem verbi et sanctitatem amoris procedentis constituatur ipsa intellecta, affirmata, dilecta trium societas. Quam ob causam, sub aspectu formali tanta est dicenda perfectio divini ordinis quanta maior cogitari nequit, praesertim cum haec perfectio ab intellectu creato naturaliter non possit intelligi.

Deinde sub aspectu materiali, quatenus sunt multa inter se ordinanda, etiam tanta invenitur perfectio quanta maior cogitari nequit. Non enim constituuntur haec multa, in quantum eadem perfectionis ratio in alio ponitur et ab alio tollitur, sed in quantum relationes mutuo sunt oppositae; neque aliae sunt hae relationes, et alia sunt subiecta quae relationibus ordinantur, sed ipsae relationes sunt subsistentes; neque multi et accidentales sunt actus quibus intelligitur, affirmatur, diligitur, sed unus atque infinitus est actus; neque intelligitur tantummodo quoddam ens per participationem sed ens per essentiam, neque affirmatur tantummodo quoddam verum per participationem sed verum per essentiam, neque diligitur tantummodo quoddam bonum per participationem sed ipsum bonum per essentiam; neque inter se realiter distinguuntur vel ens vel verum vel bonum vel intelligere vel affirmare vel diligere; ut perfectissima sit unitas unius conscientiae ita ordinatae ut tres personae per eandem conscientiam sint singulae suo modo conscientiae.

Sexto, divina perfectio secundum actum et divina perfectio secundum ordinem rationem distinguuntur et realiter identificantur.

Nam perfectio secundum actum est divina substantia, et perfectio secundum ordinem est divinae relationes simul sumptae. Sed divina substantia et divinae relationes ratione distinguuntur et realiter identificantur. Ergo per conceptus inter se distinctos unam eandemque perfectionem divinam apprehendimus.

Difficultates.

Videtur esse in divinis trina perfectio relativa, quae distinguitur a perfectione absoluta. Nam tres sunt relationes reales realiter inter se distinctae, et distincta realitas dicit distinctam perfectionem. Praeterea, esse conscium est quaedam perfectio; sed aliud est Patrem esse conscium Filii et Spiritus; aliud est Filium esse conscium Patris et Spiritus; aliud est Spiritum esse conscium Patris et Filii.

Respondetur. Distincta realitas absoluta dicit distinctam perfectionem, *conc.*; distincta realitas relativa dicit distinctam perfectionem, *subdist.*, per se sola, *negatur*, una cum correlativo, *subdist.*; dicit perfectionem realiter distinctam ab absoluto, *negatur*, ratione ab absoluto distinctam, *conceditur*.

Et eodem modo respondetur ad additam rationem. Nam esse conscium dicitur absolute et relative; et in divinis sicut unus est actus, ita una est conscientia; et sicut tres sunt personae, ita tres sunt mutuo consciae; quod mutuum esse conscium non realiter distinguitur ab una conscientia qua tres sunt mutuo consciae.

Deinde ex parte contraria obicitur: Eadem realiter perfectio non potest esse et perfectio actus et perfectio unitatis ordinis. Ergo opinio proposita in absurdum ducit.

Respondetur. Sicut a nobis haec in vita non perfecte intelligitur, vel quod processio divina simul importat realitatem emanationis et consubstantialitatem emanantis, vel quod relationes divinae sunt idem uni tertio quin sint idem inter se, vel quod realitas divina dicit tres personas in una natura, ita etiam non perfecte intelligitur quod una perfectio realis simul et rationem actus et rationem unitatis ordinis habet. Attamen, sicut et illud, ita et hoc ita imperfecte intelligi potest ut decursu sacerdotum ipsa intelligentia augeatur [DB 1796, 1800]. Nam secundum quod in divinis est unus actus unaque conscientia, intelligitur perfectio secundum rationem actus; et secundum quod in divinis per emanationes intelligibiles intra eandem conscientiam constituuntur tres conscii, intelligitur perfectio secundum rationem ordinis.

Instatur. Secundum opinionem propositam non tanta est perfectio in singulis quanta in tribus, si quidem perfectio unitatis ordinis invenitur non in singulis seorsim sumptis sed in tribus simul consideratis. E contra, secundum auctoritates³⁰ tanta est perfectio in singulis quanta est in tribus. Ergo opinio proposita admitti non potest.

Respondetur. Etiam secundum opinionem propositam, tanta est perfectio in singulis, quanta in tribus simul sumptis. Non enim

³⁰ DB 39, 79, 254, 428, 461 ss., 703 s.